



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCXXIII. Alexander templum dedicans.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

## CCCXXIII.

*Alexander templum dedicans.*

QUI HOSTI OPEM TULERIT, CAPITE PUNIATUR. Alexander bello Athenas cum premeret, templum extra muros positum incendit, pestilentia laborare coepit. Responsum est non posse finiri, nisi templum restituisset. Restituto templo Atheniensis sacerdos, Alexandro pollicente discessurum se ab armis si dedicaret, dedicavit. Discessit ab obsidione Athenarum Alexander, dicitur sacerdos hosti opem tulisse.

## S E R M O.

*Quam potest maxima religione, iudicium implendus animus est. Nam & si sacerdos reus est: & datur ei crimini quod dedicaverit templum: & quod utilissimum, & causæ etiam facile est; hoc tempore. Nam & præsentia numinis ejus, de quo agitur, approbata est.*

## D E C L A M A T I O.

**D**Eos immortales, omnes quidem, præcipue tamen numen & mihi maxime familiare, &, sicut proxime experti sumus, præsentissimum, iudices, invoco ante omnia: ut si respectu sacrorum, si pietatis, si religione sola ductus feci quod objicitur mihi, velit impunitum esse sacerdotis officium. <sup>1</sup> Nunc (quod me aliquando sollicitum habet) ne aspere, ne irate hanc iudicii faciem intueri velit, in qua capitis periculo luitur, quod templum dedicatum est. Oro igitur atque obtestor, si fieri potest, ne damnari me velint: si minus, ne vindicari: tueanturque civitatem in hac, quam modo habere coepimus, pace. Immo vero hanc vestris animis voluntatem, hoc propositum mentis inspirent, ne eo tempore Deos lædere velitis, quo illis jam Alexander satisfecit: qui etiam si bellum contra nos traditum ac relictum à patre usque suscepit: etiam si non tam propria quam hæreditaria nobiscum constitit contentione, omnia tamen alia impune faciebat, dum res intra cædem

<sup>1</sup> Nunc quod me aliquando. ] Potius, Tum quod me aliquando. Idem.

dem hominum stetit, dum intra vastationes agrorum (¹quamquam totius soli ac venerabilis soli) secunda res tamen: ac ne illa numina quidem, quæ semper excubare videntur pro nostra civitate, fatis ad tuendam urbem profuerunt. Ut vero ignem sacris postibus, ut ferrum vetustissimæ religioni admoveere ausus est, intellexit sibi non esse bellum nobiscum. Libenter audio, quæ ex diversa parte dicuntur. Ægrum exercitum, præcipiti morte consumptas copias. Quis enim non videt omnia ista facta esse, ut rursus templum esset? ita illius quoque concitati (ut auditis) ac temerarii juvenis motus est animus. Vidit non aliunde petendum esse, quam à diis immortalibus, præsidium. Oraculum poposcit, quæ hic culpa nostra est? Accepit. Videlicet, Dii immortales ut peccantibus graves, ita satisfaciendis faciles. Si noluisent remedium illi pestilentiae concedere, non indicare potuerunt. Restitui iussere templa. Gratias publice privatimque agamus: dedicare ipsi non permiserunt. Divisum partitumque responso est, quid Alexander facere deberet, quid nos. Ille, quod debuit, fecit templum speciosius, quam fuerat, & cultius extruxit animo regis periclitantis, partes supererant meæ. Excuso me vobis, dii immortales, quod non statim ad conditionem dedicationis accessi. Hoc enim ex responso & ² Alexandro satis erat, quod mittebant. Ego nihilominus magna mercede suscepi hoc officium: pacem poposci, impetravi. veluti ore ipsius Dei iussus promisit, præstitit. Hæc est criminum meorum, iudices, summa: & templum habemus & pacem. Hosti opem tulisse dicor. Nondum causas

¹ *Quamquam totius soli ac venerabilis.* Thaddæus: *totius soli ac venerabilis secunda.* Ærodius: *totius sacri soli ac venerabilis.* Alios ait voluisse: *ac vetustioris soli.* Coniciebam: *dum intra vastationes agrorum, quamquam totius soli æque venerabilis, se continuit: ac ne illa.* Idem.

² *Alexandro satis erat quod mittebant.* Ærodius, *vel Alexandri.* At ego in his nihil vitii agnosco, sed in ultimo verbo leve, quod tamen omnino impediatur sensum. Scribendum enim, *permittebat.* Diis jam satisfecerat Alexander, cum mittebat dedicari. Quod reliquum, nobis præstandum erat. Idem.

causas facti mei reddo, nondum rationem legis ipsius ex-  
 cutio. Interim quid vos putatis opem ferre? neque enim  
 id solum quæritur hac lege, an aliquis hosti profuerit.  
 Multa enim quæ utilia sunt hosti, & inviti & imprudentes  
 facimus. Ideoque hoc non complexa lex est: sed adversus  
 eum se distinxit, qui opem tulisset: illud (ut opinor)  
 tale, <sup>1</sup> Qui auxilio juvisset, qui armis, qui commeatu.  
 Non sine causa hæc ipsius verbi proprietates continet legem.  
 Quæri voluit an is opem tulisset, quodam loco manum de-  
 prehendit, & ferentem coarguit. Causam autem hujusce  
 juris quis ignoret? Animus (ut opinor) ejus punitur, qui  
 hosti prodesse voluit. adversus proditorem, adversus ho-  
 stem reipublicæ conscripta lex est. Quæ si talia sunt, quid  
 simile his commisi? Templum dedicavi. Viderimus an  
 hoc hosti profuerit, ad causam meam pertinet sciri, quid  
 ego fecerim, non quid ex eo factum sit. At enim hoc hosti  
 profuit. Si ideo feci ut hosti prodessem: sane sim legi isti  
 obligatus. Si cum aliquid facerem pro universa republica,  
 utile etiam hosti fuit: non (ut opinor) <sup>2</sup> damnis contenden-  
 dum fuit. Videamus ergo an hoc pro republica fuerit.  
 Nondum dico, quæ secutura fuerint, si non dedicassem.  
 Interim cum pietate vestra, Athenienses, loquor, Tem-  
 plum non illud vetus; non illud præsentissimæ religionis,  
 non illud est, à quo totius civitatis nostræ petitur auctori-  
 tas? <sup>3</sup> Sed novum aliquid & adhuc inexpertum video: in  
 finibus

<sup>1</sup> Qui auxilio juvisset.] Vet. cod. ju-  
 vesse, verbo, ut puto, legitimo, quod  
 novari non debuit. Pitheus. Qui auxi-  
 lio juvisset, qui armis.] Sic Ulpianus &  
 Callistratus ad legem Juliam majesta-  
 tis. Qui hostibus populi Romani nun-  
 tium, literasve miserit, signumve dede-  
 rit, feceritve dolo malo, quo hostes po-  
 puli Romani juventur adversus Remp.  
 cujusve opera dolo malo hostes populi  
 Rom. commeatu, armis, telis, equis,  
 pecunia, aliave qua re adjuvi erunt, &c.  
 Igitur profuisse non nocet, sed dolo

malo profuisse, ut sit quis huic legi ob-  
 ligatus. Erodianus.

<sup>2</sup> Damnis contendendum fuit.] Ut satius  
 fuerit vel nocere Reipublicæ, quo hosti  
 noceatur: quam Reip. prodesse, ne per-  
 consequentias id hosti profuit, quod cer-  
 te fuerit imprudentissimum. Idem.

<sup>3</sup> Sed novum aliquid & inexpertum.]  
 Corruptus fuit hic locus, si quis alius,  
 aliquem sane sensum attulimus. In de-  
 dicatione qua quasi Dii evocantur, &  
 domicilium mutant, videndum ne quid  
 vitio fiat, ne quid non rite & legitime

finibus nostris est dedicandum. Hæc enim priusquam  
 1 dedicationis accipiant summam religionem, opera sunt  
 tantum: dedicatio est illa, quæ Deum inducit, quæ sede  
 destinata locat, hoc ideo facere non cuicumque permitti-  
 tur, nisi castæ manus, nisi familiaris sacris animus accesserit.  
 Dedicatio solis (ut nunc comperimus) concessa Athenien-  
 sibus. Hoc ego fieri reor, iudices, quod cum cætera-  
 rum civitatum templa, in ipsis posita urbibus, frequenter  
 cum totis ruere atque incendi mœnibus viderimus, nulla  
 vindicta, nulla religio, nulla eos qui fecerant, supplicia  
 consecuta sunt. Hic sacrilegium pestilentia 2 vindicatum,  
 3 dedicationem destinabat, neque enim aliter saltem tem-  
 plum esse existimaverat, nisi dedicaretur. De quocunque  
 templo loquor, hoc templum non dedicabo? Quam multa  
 adhuc remitto? taceo quid Dii voluerint, taceo quid  
 responsa præceperint, humanis consiliis locum relinquo,  
 non dedicabo? Procedere ultra volo. Si Alexander ab ob-  
 sidione tantum Athenarum recessisset, nonne ædificasse-  
 mus,

quo nomine multa sacra, sacrificia & ludos sapius restauratos & restitutos esse legimus. Plinius lib. 28. cap. 2. Vidimus certis precationibus, obsecrasse summos magistratus, & ne quid verborum præteratur, de scripto præire aliquem. Templum, quod à tuendo dictum est, (inquit Varro) locus est Augurii aut Auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus, quod à magistratu Pontifice præeunte dicendo dedicatur. Hoc jam, ut apud nos sunt omnia, ἑὸν ἄεθρον ἐπὶ τῷ. Quid enim amplius tota Gallia, sacri sancti & religiosi? At una omnibus maxime religio prætenditur. Iterum igitur ἐπὶ τῷ ἑὸν ἄεθρον ἐπὶ τῷ. Idem. Sed novum aliquid & adhuc inexpertum video.] Post hæc inserit Ærodius τὸν τῷ templum. Hoc non est necesse: sed totum ita legi necessarium est: Si novum aliquid & inexpertum video in finibus nostris, est dedicandum. Hoc mihi faciendum est tanquam sacerdoti. Gronovius,

1 *Dedicationis accipiant summam religionem.*] Priusquam his dedicatio, velut summa manus, imponatur. Hic locus confirmat lectionem, quam probavimus in principio institutionum: quasi perfectis omni alio genere doctrina summam eloquentiam manum imponerent. Idem.

2 *Vindicatum, dedicationem destinabat.*] Ærodius: vindicatum est. Ut hic finiatur periodus. Placet: sed non hoc solum mendosum. Forte: Dedicatio solis, ut nunc comperimus, concessa Atheniensibus. Hoc ego significari reor, iudices, quod, cum cæterarum civitatum, &c. viderimus, nulla vindicta, nulla religio, nulla eos, qui fecerant, supplicia consecuta sunt; hoc sacrilegium pestilentia vindicatum. Dedicacionem desiderabat. (intellige Alexander. & merito) neque enim aliter saltem templum esse existimaverat, nisi dedicaretur. Idem.

3 *Dedicationem destinabat.*] Ver. Cod. *Destinationem destinabat.* Pithœus.

mus, non restituissemus? Equidem ego omnibus nostris sacris crediderim inesse numen. Debetur hoc Atheniensium civitati, debetur vetustissimo generi, debetur solo, de quo contendisse quondam Deos immortales non sine causa creditum est. Cætera tamen opinione credimus, & conjectura colligimus: in hoc numine sentimus momenta bellorum, hoc pars utraque cognovit, hoc numen scit esse Alexander. Adjice quod dedicari voluerunt. Si à quocunque voluissent, occupandum fuit mihi, cum Atheniensis sim. <sup>1</sup> Totum enim hunc populum, judices, puto sacerdotem. At enim sic effectum est, ut laborare pestilentia exercitus Alexandri desineret. Non dico desitūrum alioqui fuisse: periturus sit Alexander, perituri sint milites omnes, vultis uti hoc sacrificii publici beneficio? si quis vobis hanc poneret conditionem, Athenienses, ut omnium potiremur gentium, everfis exultisque templis: non profecto acciperemus. Pluris nobis pietas, pluris nobis opinio, pluris disciplina civitatis fuisset. Moritur miles Alexandri. Sed templum sine numine, sine religione: sed templum adhuc est inter præsidia hostium: sed non ire mihi, non colere, non agnoscere, non agere gratias licet. Vos porro cur perire exercitum Alexandri, cur perseverare istam pestilentiam vultis? nempe ne bellum haberetis: habetis pacem. Beneficium dedistis, ex illo quem gravissimum hostem timebamus, habemus potentissimum amicum. Sint sane pertinacia odia. Alexander responso satisfecerat. quod ad ipsum pertinuit, templum restituerat: quod ad secundam quoque partem responsi pertinebat, fecerat potestatem dedicandi, mercedem <sup>2</sup> quantam maxime dari poterat, reipublicæ dedit. Tam injustos vos creditis Deos immortales, ut non fuerint cogitaturi cujus culpa templum vaca-

<sup>1</sup> Totum enim ego hunc populum (judices) puto sacerdotem.] Athenienses αὐτοχθόνας se appellarunt, & ideo notuam insigne ferunt. Contentio Neptuni & Minervæ omnibus nota est.

Quod omnem populum Atheniensem sacerdotem esse ait, sumptum est ex Homeri Catalogo. *Erodius.*

<sup>2</sup> Quantam maxime dari.] Scribendum quantam maximam dare poterat. *Græc.*

vacaret? nam (ut dixi) si pestilentiam finiri Dii immortales nolissent, aut nullum responsum, aut aliud certe dedissent. Demonstrata satisfactio & in hoc valet, ut accipienda sit. Vereor, iudices, ne quid fingere ex necessitate periculi videar, veruntamen me religionis meæ dissimulare quæ acciderunt non finit ratio. Alexandrum apud me valuisse solum putatis aut ullam mercedem? Ego illum recessurum putabam, etiam si non pacisceretur. Deus, Deus ille (testor ipsum & præsentissimi conscientiam numinis) ille adegit, ille iussit, ille in has preces misit: secundum hoc quodammodo fuit responsum.

## C C C X X I V.

*Bona sacrilegi.*

QUI REUM CÆDIS DAMNAVERIT, BONA EJUS POSSEDEAT, SACRILEGI BONA TEMPO CONSECRENTUR. Damnatus cædis cum torqueretur, dixit & sacrilegium à se commissum. Ambigitur de bonis. Sacerdos templo vindicat: accusator sibi.

## D E C L A M A T I O.

**A**Ntequam leges comparamus, intueri personas libet. Nos nullam habemus in litigando propriam cupiditatem: non acquirimus nobis: petimus bona templo, petimus honorem Deo. Adversarius sibi vindicat, & in præmium operæ suæ deposcit. Ostendit quare accusaverit. Quemadmodum personas comparavimus, ita comparemus & leges. Idem demus utrique tempus, eandem utrique legi causam: ipsæ tamen etiam citra defensiones, non parem rationem habent. Scripta est altera Deo, altera homini. Æquum est priorem esse rationem religionis.

## S E R M O.

*Hic subjici poterat & locus in quo laudemus hanc legem.*

## D E C L A M A T I O.

Præterea & alioqui justius est sacrilegi bona pertinere ad templum, quam damnati ad accusatorem. Quare? quoniam